



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Sapientia

**Pinamonti, Giovanni Pietro
Segneri, Paolo**

Coloniae, Anno M.D.CCVI.

VD18 12664146

Primi Parentes ejiciuntur ex Paradiso.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50782](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50782)

æquissimi mentem iudicis: inconcussa stat sententia, peccârunt angeli, omnes igitur, in ictu oculi, ad ima inferni præcipitantur. O! quanta est iudiciorum tuorum æquitas, justissime Deus! est infinita, nec tamen eam timent mortales! primi Regiæ tuæ proceres unius peccati pœnas luunt æternas, dum mancipia interim vilissima non desinunt absque metu peccare.

PUNCTUM II.

Supplicium Protoplastorum.

Quia audisti vocem uxoris tuæ & comedisti... maledicta terra in opere tuo. Genes. 3, 17.

II. **C**ONSIDERA primum inter homines peccatum, quod fuit Adami, & mala quoque omnia perpende, quæ ex hac Pandoræ pyxide in mundum invec̃ta sunt universum. Collige in unum fascem misérias omnes, quæ vitam nostram circumstant; huc inopiam, ægritudines, ignorantias, inimicitias, famem tempestates, pestem, lites

tes, bella, strages, vastitates congere;
 ex ossibus insuper mortuorum, quot
 quot unquam in terris vixerunt, in u-
 num coacervatis cumulum, erige mo-
 numentum, & postquam attonitis o-
 culis has omnes circumspexeris tam
 flebiles ruinas, ergone, inquires, totus
 iste miseriarum cumulus unius suppli-
 cium est peccati? hæccine est feralis
 illa janua, per quam omnis iste malo-
 rum exercitus, facto velut agmine, in
 mundum irruit? non peccasset Ada-
 mus; & nostri erant futura juris ac ar-
 bitrii, quæcunque uspiam sunt bona,
 justitia, pax, natura, gratia, vita insuper
 nunc felix, felicissima in æternitate.
 O peccatum, grande malum! cuius sty-
 gio torrente omnium inundatio ma-
 lorum orbem implevit. Inutiles illæ
 atque inanes lacrymæ, quibus pleri-
 que mortalium suam deplorant ima-
 ginariam infelicitatem: O! quantò
 meliùs justissimo famularentur dolori
 peccatorum, quæ sola scilicet in pers-
 niciem nostram tam fuere fecunda.
 Quid autem verba & tempus perdo?

O pestilens peccatum ! namque in eo etiam & tu veneno es per simile, cujus prima inter symptomata habetur oculorum hebetatio : Ità clarissimæ veritates non agnoscuntur à peccatoribus.

PUNCTUM III.

Unius peccati supplicium.

Luet quæ fecit, nec tamen consumetur.

Job. 20. 18.

CONSIDERA denique enumeratâ maiora omnia nihil esse, æternis pœnis comparata, quas propter peccatum unicum anima damnata sustinet in inferno. Lubeat igitur tibi accedere non nihil ad extremum duntaxat marginem horrendæ illius fornacis, & fixo illic obtutu, arbitrari tot animas in æternum damnatas, neque ob culpas alias quàm ob ipsasmet, vel pauciores etiam, quarum & tu reum te nôsti. An non horrore attonitus exclamabis: ergone pro momento unico pudendæ, sordidæque voluptatis, supplicia exsolvenda sunt inaudita, ac sempiterna?